



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Ad Christum Jesum & hunc Crucifixum devotissima Auctoris allocutio & supplicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



Ad Christum JESUM & hunc Crucifixum
devotissima Auctoris allocutio & supplicatio.

Levit. 23.
10.

Nus pro omnibus olim in lege divinâ erat post collectam messem oblatus spicarum manipulus: *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis.* Per quem spicarum manipulum in lignea pertica

S. Aug. Tr.
51. in Joan.

à Sacerdote publicè coram omni populo elevatum, Tu ô JESU! Amor Crucifixe! præsignatus es. Ita S. Augustinus & alii: *Ipsè Dominus JESUS erat granum mortificandum, & multiplicandum, mortificandum infidelitate Judeorum, multiplicandum fide populorum &c.*

Collegi & ego sacerdos indignus in fertilissimo Sacræ Scripturæ agro de Te ô JESU Crucifixe, aliquot spicas deciduas, quas in unum ligavi manipulum, quem tibi tanquam omnium bonorum Authori & largitori in acceptis refero, & summâ, quâ possum ac debeo, animi demissione offero, humiliter rogans, quatenus hunc meum qualem qualem laborem benigno misericordiæ oculo digneris respicere, & sub umbra alarum tuarum protegere. Et quia apud me dies vitæ paulatim vergit ad occasum, obsecro te ô mi Redemptor cum duobus illis

Luc. 24. 29.

Discipulis: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.* In quem finem adrepo ad sacratissimos pedes tuos, & ad antiquissimam ac thaumaturgam imaginem tuam Biberbacensem, in quo loco & templo hæctenus indignum pastorem per 45. annos egi, & peccata multorum millium devoravi, impensissimè flagitans, ut

non

Allocutio ad Christum Crucifixum.

non derelinquas me in senectute mea, & tandem ne omninò me
projicias in finem. Quapropter hoc Canticum devotissimo animo
coram te in terra prostratus, non sine piis lacrymis decanto:

1. O mi JESU, qui subire
Voluisti pro me diræ
Crucis ignominiam.
Qui pro meis te peccatis
In hac ara pietatis
Dederas in hostiam.
2. Coram te en supplex cado
Et me tibi totum trado
Ac in servum consecro.
Scio quidem me peccasse
Et ut ovem aberrasse
Ah! condones, obsecro.
3. Tandem rogo, tot labores
Tantus Sanguis & dolores
Fac, in me non pereant.
Sed quod hætenus peccavi
Tua Crux, cum spinis, clavi
Ac mors tua deleant.

Ita fiat, ò JESU! Amen.

Servorum tuorum minimus ac peccator
miserrimus

Antonius Ginther

Plebanus in Biberbach.

Appro-